

1575 consilia caperent. Rumor enim Byzantium perlatus fuerat, centum ac quinquaginta triremium classe, Joanne Austriaco imperatore, Hispanos usque in maria Leucadi propinqua se contulisse; eoque rumore permoti, insueto perculsi metu, prætorianis militibus (quos *Fannizzeros*) equitibus (quos *Spaos* vocant) ut ad litora tutanda, maritimis viribus superiori bello depressis atque afflictis, se conferrent, præcepere. Verebanturque, Austriaco Byzantium versus iter habente, ne tumultus aliquis in multiplici atque incondita plebe oriretur. Navigia quoque intra Hellespontum cogi jusserant, anxiusque Mehemetes persancte jurejurando affirmabat, nunquam se, quin Byzantii triremes armarentur, præpediturum, singulisque annis præpotentem classem emissurum. Ea crebris nuntiis augebantur, quibus Persarum Regem brevi arma in Turcas moturum ferebatur; eoque Amurathis animum suspicio provexerat, ut Superantii legati cuncta suspecta habens, de ejus profectioe crebro sciscitaretur. Itaque Mehemetes insigni equo ac regia veste eundem donavit, ut eo argumento, quod in discessu exhiberi solet, non esse cur Byzantii amplius moraretur, intelligeret. At legatus, qui absque Senatus responso minime proficisci decreverat, rursus ad finium negotium pertractandum, incassum licet, convertebatur. Atque ea cunctatione Amurathes in majorem sollicitudinem conjectus, legatum aperte dimittere volebat; cum Venetiis literæ afferrentur, nisi quæ de agrorum restitutione petierant, impetrarent, denuo ad terminos præfigendos Regis nomine in Illyricum aliquem mitti, idque munus Ferati deferri curarent. Amurathes, ut aliqua saltem in re Venetis gratificaretur, tribus conspicuis auctoritate viris, qui in rem præsentem venirent, negotium detulit; Ferati, Clissæ præfecto, ac Jafero Zausio; præcepitque, ut, nostris præsentibus, Turcarum fines a Venetis sejungerent.

*Amurathes  
cōtroverſa-  
rum de fini-  
bus defini-  
tionem suis  
præfectis  
commisit.*

*Negotium  
de captivis  
permutandis  
conficitur.*

Non minore studio coeptum antea de permutandis captivis negotium agebatur, in quo impensius navandam operam Senatus censebat, ne, qui summa animi virtute ac fortitudine vitam pro Republica ac religione devoverant, diutius miserrima servitute affligerentur. Illustres captivi, qui in turri ad pontum Euxinum asservabantur, cum iis, qui Romæ erant, com-